

















1727.

1. Adeling, Taculus: De iuris obligationis natura et usu.  
2 Exempl.

2. Beckius, Casper Sebastianus: De iudicio statario.

3. Beckius, Casper et Sebastianus: De lege Cornelia testamentaria et. II. Liboniano.

4. Brucknerus, Guilielmus Hieronymus, Fac. jur. prodeamus:  
Programma, praemissum solenni Dissertationi . . . Valeriani Kestleri . . . ventilandae.

5. Buderus, Christianum Gode: De pentis scriptis . . .  
3 Exempl. 1727, 1737 & 1744.

6. Hertelius, Francus Fridericus: Prolegomena academica:  
De optima distinguendi et docendi ratione, quae fit per  
dichotomias . . . caque author lectiones suas . . .  
inducit.

7. Hilscher, Simon Paulus: Theoria abortus et partus

praeconis  
8. Hoffmannus, Joh. Tobias: De patrimonio principis  
privato quod die Chateau vocent quinque privilegiis et  
iuribus 2 Exempl.



1729


9. Schmidtius, Fr. Christianus: Remunerationes de suggesta 16
10. Schroeterus, W. Christianus, Fac. jur. Decanus: 17  
Programma, Dissertationi Polycarpi Christiani Meckbachii  
praemissum. 18
11. Schroeterus, Fr. Christianus, Fac. jur. prodecanus: 19  
Programma, lectioni auspicali Fr. Bartholomaei Sackii  
praemissum. 20
12. Schroeterus, Joannes Christianus, Fac. jur. Decanus: Solennis 21  
ad inaug. Dissertationem Georgii Lebrucht W. L. Kii Curstatis
13. Sidelius, Fridericus: De obligatione hominis ad religio-  
nem. 22
14. Sturmius, Gottlieb: De reo in processu inquisitorio  
non convicto in expensas non condemnando -
15. Terschmager, Henr. Frider. Vindiciae quorundam  
inventorum recentium anatomicorum a nonnullis  
celebratissimis anatomicis in patria vocatorum



1729.

16. Feschmeyerus, Henr. Frides: De hydropse pectoris.
17. Walckius, Franc. Georgius: De jejuniis quatuor-  
simati
18. Wedelius, Franc. Adolphus, Fac. med. Decanus: Praesumptio  
in ang: De antlyarum attractivorum emundatione II (actui  
publico Dr. Galtopati Curiosi praemissum)
19. Wedelius, Jo. Adolphus: De haemorrhoidibus
20. Wedelius, Franc. Adolphus, Fac. med. Decanus: Praesumptio  
in ang: De regulo antimonii per sal alcali obtinendo 7  
(actui publico Dr. Rudrae Wisliceni praemissum)
21. Wildvogelius, Christianus: De abolitionibus et fine  
tertii circa eas.
22. Wildvogelius, Christ: De eo, quod justum est circa  
sublevationem







*G. 77. num. 4. A. 4*

~~1722~~

1722 11 b

2 /

*Q. D. B. V.*  
DISSERTATIO MORALIS

DE  
**VERAE OBLIGATIONIS  
NATVRA ET VSV**

QVAM

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
DOMINO

**GVILIELMO HENRICO**

DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MON-  
TIVM, ANGARIAE, GVESTPHALIAE

RELIQVA

*INCLVTI PHILOSOPHORVM ORDINIS PERMISSV*  
IN ACADEMIA IENENSI

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI OFFERT

**M. IACOBVS ADELVNG**

BINDERSLEBIA - ERFFVRTENS.

RESPONDENTE

**IO. GODOFREDO SCHREITER**

FLENSVVRGO - CIMBRO.

CALEND. OCTOBR. MDCCXXVII.

I E N A E  
LITTERIS BVCHIANIS.



engel.  
alum  
con-  
egula  
itan-  
re-  
in dg  
plane  
blum  
idem  
ra e.  
erant-  
n co-  
ciam  
dimi-  
it (ex  
licue-  
obiv  
ant  
drem.  
4. lege  
20. p.  
24.  
m. ult.  
V  
sol  
bor  
A  
A  
A

*1722*





D. D. R. N.  
DISSERTATIO MORALIS

DE  
VERAE OBLIGATIONIS  
NATURA ET VSU

AVVM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINO

DOMINO  
GWILIELMO HENRICO

DUCE SAXONIAE ILLUSTRI CIVIS AC MON-  
TIVM, ANGARIAE, QVESTRIALIAE


RECTORI  
INGENII PHILOSOPHO IN ORDINE PERMISSO  
IN ACADEMIA IENENSIS

PUBLICO EXAMINATORI  
M. JACOBVS ADELVING

RECTORI  
IO. GODOFREDO SCHREITER

LEIPZIG - GIBRAGO  
CALEND. OCTOB. MDCCXXVII

LEIPZIG  
LITHEIS BUCHHANDLUNG





VIRIS

*NOBILISSIMO, AMPLISSIMO, ET CONSULTISSIMO*

**HENNINGIO MULLERO**

POTENTISSIMI REGIS DANORVM A CONSILIIS

ET

PRAEFECTVRAE TVNDERANAE EPHORO

GRAVISSIMO

ET

*PLVRIMVM REVERENDO AC PRAECELLENTI*

**IACOBO FRIEDERICO**

**MEISTERLINO**

PASTORI ECCLESIAE BRECLVMENTIS

LONGE MERITISSIMO

*PATRONIS ET COGNATO*

*DILIGENTISSIME COLENDIS*

HANC DISSERTATIONEM PHILOSOPHICAM

IN PERPETVVM GRATI ANIMI MONVMENTVM

ATQVE SVI SVORVMQVE STVDIORVM COMMENDATIONEM

EA, QVA DEBEBAT, OBSERVANTIA


CONSECRAT

RESPONDENS.




*Enoꝛsus.*

- §. I. *Nostri instituti ratio.*  
§. II. *Naturae verbum quo sensu so-  
leat usurpari.*  
§. III. *Obligationis vocabuli variae  
significationes.*  
§. IV. *Obligationis definitio.*  
§. V. *Quid sit qualitas moralis?*  
§. VI. *Materia in qua obligatio ver-  
setur?*  
§. VII. *Imperantis nomine quis ad-  
pelletur?*  
§. VIII. *In quos obligatio possit ca-  
dere?*  
§. IX. *Obligationis forma quae sit?*  
§. X. *Finis illius.*  
§. XI. *Lex quid sit?*  
§. XII. *Ad quid obligemur?*  
§. XIII. *Definitio probatur.*  
§. XIV. *Dari huiusmodi obligatio-  
nem.*  
§. XV. *De vero usu obligationis no-  
strae.*  
§. XVI. *Qua in re illustris Thomaeus  
obligationem ponat?*  
§. XVII. *Celeberrimi Wolffii hac de  
re sententia.*  
§. XVIII. *An obligatio cadat in De-  
um.*  
§. XIX. *An imperans humanus legi-  
bus ab homine latis teneatur?*  
§. XX. *An ipsi hanc necessitatem  
moralcm pessimus nobis impo-  
nere?*  
§. XXI. *An aequalem quis obligare  
queat?*  
§. XXII. *Vis obligandi an insit in  
Consiliis?*  
§. XXIII. *Conclusio.*







## §. I.

**Q**Uum specimen dare constituissem, statim in consultationem venit & deliberationem, in vulgus hoc tempore quid ederetur, ex quo caperemus utilitatem, quodque ab aliis nimium saepe non propositum, lippisque, ut ait HORATIUS, & tonforibus notum esset. De obligationis verae natura & usu tandem nonnihil emittere placuit; de qua separatim, hoc saltem modo, ab aliis esse explicatum, ignoro; cum tamen ad omnem iuris scientiam haec materia magnam adferat utilitatem.

## §. II.

Alienum fortasse non est, de verborum vi & significationibus, pauca tamen, ante exponere, quam ipsam rem explanemus. *Natura* philosophis quibusdam significat I. *Deum*, siue mundi aedificatorem opificemque; (a) aliis II. generatim est vis, vel particeps rationis, vel sine ratione, ciens motus in corporibus necessarios; (b) nonnulli III. intelligunt ipsum mundum vniuersum,

A

S

(a) Hac significatione in Stoicorum, aliorumque libris naturae incidit mentio, apud quos *Deus* & *natura* idem fuere. SENECA L.IV. de benef. c.VII. *Quid aliud est, inquit, natura, quam Deus, & diuina ratio toti mundo & partibus eius inserta?* Scholastici, qui vocantur, barbare *naturam naturam* adpellant, a qua discernunt *naturam naturatam*, quae orbem terrarum significat vniuersum.

(b) CICERO de Nat. Deor. L.II. c. XXXII. *Alii naturam censent esse vim*



Et quae in eo continentur; (c) IV. id, quod in re quadam deprehendimus inesse, ut tamen neque sit eius proprietas, neque eidem accidat. (d) Nobis iam non licet esse verbolis; vnde hoc monemus tantum, ultimam naturae significationem huic tractationi maxime conuenire.

## §. III.

Obligationis vocabulum non vno sensu adhibent. I. Originem eius si spectes, obligare idem est ac ligare; (e) Iuris cul-

quandam sine ratione, cientem motus in corporibus necessarios. Alii autem vim participem rationis, atque ordinis.

(c) Sic BALBUS, stoicus apud CICERONEM l. c. Sunt, inquit, qui omnia naturae nomine adpellent, ut Epicurus, qui ita diuidit, omnium, quae sint, naturam esse corpora & inane, quaeque his accidant.

(d) Ita terminis naturam circumscribit celeb. LEHMANNVS in *Logica P. I. L. I. c. IV. Sect. II. §. XXX. sq. it. instit. logic. P. I. L. I. c. I. §. III.* Hac ratione vero naturae verbum & veteres vsurpauerunt, & recentiores auctores. MELCHIOR ZEIDLERS in *Anal. post. L. II. Cap. V. §. III.* dicit: Altera definitio, quae *περὶ φύσιν* dicitur, rei vim & naturam exprimit, & proprie definitio vocatur. In definitione vero non ea, quae rei cuidam accidunt, proprietatesque alicuius rei exponi solent, sed ea, quae praeter illa & has in re insunt, ac essentiam eius constituunt. Hinc patere arbitror, eum per naturam intelligere id, quod praeter proprietates, & quae rebus accidunt, in iis reperitur. Ex quo conficitur quoque, *περὶ φύσιν* a nonnullis naturam rei in vnica quaeri rerum *περὶ φύσιν*.

(e) Vnde auctor ad HERENNIVM l. I. c. XIII. Qui parentem, inquit, necesse iudicatus erit, is obuolutus & obligatus corio, debeatur in profluentem. Ita emisit GRONOVIVS, cum in aliis exstet os obuolutus & it. culco, pro corio; deiiciatur, pro debeatur. In editione Gothofredi Geneuensi, anni MDC LX. obfolutus irrepfit pro obuolutus, turpi typhetarum incuria. *ὄσ ἐν περὶ φύσιν*. Hinc etiam a medicis illud verbum hoc sensu vsurpatur. e. g. CICERO de Nat. Deor. l. III, XXII. Aesculapiorum primus -- primus vulnus dicitur obligasse. Sic Eurypylus apud eundem Tuscul. qu. II, XVI. medicum requirebas, a quo obligaretur.



cultoribus II. obligare est *oppignerare*; (f) Alia III. porro significacione obligare aliquem beneficiis idem est ac *deuincire sibi aliquem beneficiis*. (g) Nulli harum significacionum iam est locus. IV. Saepe tamen *obligatio* est *neccissas moralis aliquid faciendi aut omitendi*. (h) Hanc vel attribuunt ei, qui *neccissitatem hanc*, *moraalem alteri imponit*; vel ei, cui ab altero imponitur. Illam doctrinae causa *actiuam*, hanc *passiuam* vocant; illam tamen non nisi raro *obligationis* nomine adpellant. (i) Alterius *facultatem*, *neccissitatem hanc* nobis imponendi, *ius* potius vocant. *Iuris* verbum in plures itidem

A 2

fen-

(f) Quemadmodum SVETONIVS in *Vespas. c. IV.* eo vsus est. *Rediit, inquit, certe nibilo opulentior, ut qui prope labefactata iam fide omnia praedia fratri obligavit.* Quo pertinet & illud CICERONIS ad *Brutum Ep. XVIII.* *Est gravior & difficilior animi, & sententiae, maximis praesertim in rebus, pro altero, quam pecuniae obligatio.* Vnde *syngrapham*, qua, aliquid pignori dari siue oppignerari, significatur, *obligationem* adpellant. Huc fortassis spectat illud CICERONIS pro *A. Caecina c. III.* *Si quis, quod spondit, qua in re verbo se vno obligavit, id non facit, maturo iudicio, sine ulla religione iudicis condemnatur.*

(g) Huiusmodi locutiones vbiuis leguntur; quippe optimorum linguae latinae auctorum nihil fere in ore est magis, quam *obligatio*, quae sit *beneficiis*. Sic CICERO *Ep. I. L. III. ad Quintum fratrem: Scaturum, inquit, beneficio defensionis valde obligavi.* Eodem modo alter, quem nobis obstringimus beneficio, nobis dicitur *obligatus*. conf. *SENECA l. c. I, IV. PLINII Paneg. c. XXVIII. c. LX. CICERO de officiis L. I, XX. Qui se locupletes, inquit, honoratos, & beatos putant, hi ne obligari quidem beneficio volunt.*

(h) CICERO in *Verrem L. II. Orat. VII. c. LXXII.* *Producam testes, --- cum interrogabuntur, obligentur non solum iuris iurandi, atque existimationis periculo, sed etiam communi inter se conscientia.*

(i) Hanc in partem accipit RICHARDVS CVMBERLAND, in *disquisitione de legibus Nat. C. V. §. XXVII. p. 240.* *Ego, inquit, obligationem moralem sic vniuersaliter nec incommode definiti posse arbitror: Obligatio est actus legislatoris, quo actiones legi suae conformes, eis, quibus lex fertur, necessarias esse indicat.* conf. *PVFENDORFVS ad hunc locum, L. I. de Iure N. & G. c. VI. §. V.*



sententias accipitur. Facile vero iudicatu est, quam in partem heic sit accipiendum; non *legem* significat, sed *facultatem*, alteri necessitatem hanc moralem imponendi; quae semper ante constituitur, quum de obligatione sermo est. Vnde obligationem saepe *correlatum iuris* vocant. (k) In hac disputatione, missis reliquis obligationis speciebus, verba faciemus de natura & usu obligationis verae, quatenus inest in iis, quibus necessitas isthaec moralis imposita.

## §. IV.

Huius generis obligationem Imperator definit *iuris vinculum, quo necessitate adstringimur alicuius rei soluendae, secundum nostrae civitatis iura*. Quis non videt, hanc non esse obligationis generatim consideratae definitionem, sed eius duntaxat, quae est ab imperante humano Romanorum genti significata, ac quae speciatim versatur in re soluenda? Hinc vltima definitionis verba ab aliis recte omittuntur. (l) Illustris THOMASIVS (m) eam ita finiuit: *Obligatio est qualitas moralis passiva, personae a lege iniecta, eiusque libertatem restringens ad dandum aliquid, vel faciendum ei, cum quo quis in societate vivit*. Sed verba posteriora nimis angustis terminis eam circumscripsisse, cum ad

(k) Sic illustris THOMASIVS in *Iurisprud. diu. L. I. C. I. §. CXXXIV.* & in *Fundament. Iur. N. & G. L. I. C. V. §. VIII.* notorium esse ait, *ius & obligationem esse correlata.* & §. IX. hinc obligatio dicitur qualitas moralis passiva, ius activa. Icti illam qualitatem moralem, quae in obligante inest, *ius ad rem* vocant. conf. e. g. HOPPVS ad *pr. inst. de obligat.* qui dedita opera de his exponit. *Ius ab rem* differre dicit ab obligatione, vt *relatum & correlatum*; aliud ab illo esse *ius in re*. Id tamen eo minus iam laboramus, quo alienius est a nostro instituto.

(l) Conf. celeb. LEHMANNI *observ. ad Pufendorf. L. I. C. II. §. III.* HENR. VEFELMANNI librum, *de iure, quo homo homini in sermone obligatur*, Cap. III. *Thef. I. CUMBERLANDVM l. c. C. V. §. XI. p. 205.* vbi numerorum *melædées Tit. 41.* legitur pro 14. conf. & §. XXVII. p. 240. it. MICH. HENR. GRIBNERVM in *princip. Iurispr. Nat. L. I. C. I. §. I. Not. IV.*

(m) In *Institut. Iurispr. diu. L. I. C. I. §. CXXXIV.*



ad societatem tantum spectent, alii iam monuere. (n) Celeberrimi nostris SYRBI *obligationis definitio* (o) haec est: *Obligatio nihil est aliud, quam necessitas moralis ad agendum vel omittendum, in genere ad praestandum aliquid; obligare vero, necessitatem eiusmodi aliis imponere.* Eodem ferme redit haec: *Obligatio est vinculum iuris, quo necessitate adstringimur alicuius rei praestandae.* (p) GRIBNERVS, & RICH. CUMBERLANDVS (q) eam obscuritatis arguunt; cum vocabula *vinculum* & *obstringi* *παραδέξω* vsurpentur. Quae BYDDEI nostri summe reuerendi sit *obligationis definitio*, magis fortasse notum est, quam vt a memet hęc sit exponendum. (r) Quae in sequentibus de verae *obligationis*

(n) Conf. celeb. LEHMANNVS l. c. Ipse definitionis auctor illustris in *observat. XXVII. To. VI. observat. Hallens.* hanc definitionem dicit non esse generalem satis; sed hoc modo *externam* defini posse obligationem, non *internam*, de quibus obligationis speciebus infra de industria explicabimus.

(o) In *Institut. Philosoph. Prim. P. I. Architecton. C. VI. §. XLII. P. 297.*

(p) Ita describunt HENR. VFFELMANNVS l. c. & VVFENDORFVS L. I. de offic. H. & C. C. II. §. III. cum paullo aliter eam definiuisset L. I. de iure N. & G. C. I. §. XXI. & C. VI. §. V. HOPPH definitio- nem l. c. legere poteris.

(q) Il. cc. dubito tamen, quin horum posterior meliorem attulerit §. XXXIV. p. 258. de qua vero alio loco nonnihil dicendi occasio- nem nanciscemur. Si cui vero isthaec vocabula *vinculum* & *obstringi* videantur obscuriora, magisque forsitan Syrbiana definitio adriserit, pace nostra illa repudauerit.

(r) Conf. ej. *Element. Philos. pract. Part. II. C. II. §. V. tit. Theolog. Moral. P. II. C. I. C. I. §. VIII. not. \** & *dissertat. de principe legis hu- manis sed non diuinis soluto*, p. 7. *definit. VI.* vt alios breuitatis amore ducti omittamus. Quod si de causa tanti eruditorum in definienda obligatione dissensus inquiras, facile obseruabis, esse hanc rem ex earum numero, quae facile quidem intelliguntur, difficilius vero ex- planantur. Conf. celeb. LEHMANNI *observ. ad Pufendorf. l. c.* GRIB- NERVS l. c. *quid obligatio sit, & in quo vis eius consistat, non satis expeditum est, & quae vulgo eam in rem afferuntur, argumento huic non suffi- cium.*



nis natura & usu dicuntur, haec eius patefaciet descriptio: Obligatio qualitas est moralis, qua voluntas imperio alterius subiecta, per ius illius imperandi, legesque ferendi, quod necessario postulat obsequium, efficacius adstricta est, ut hac ratione illud facilius agat, omittatque, quod lex praescripsit agendum, aut intermittendum, atque sic ipsius legis prouebat finem. (r)

## §. V.

Hanc definitionem primum explicare vberius, deinde firmis corroborare argumentis, nostrum erit munus. Qualitas quid sit, ab aliis saepius expositum. Celeberr. SYRBIUS, (r) Modi, inquit, qui praeter quantitates substantiis insunt, adpellantur qualitates. Bipartito distribuuntur qualitates; aliae enim physicae vocantur, aliae morales. Physicae corporibus, etiamque iis rebus, quae incorporales dicuntur, praeter Deum, insunt, ab eo ipso tempore, quo condita sunt. (u) Qualitates morales rebus creatis praeter physicas superadditae quasi sunt. (x) Ex harum, non illarum numero est obligatio. Si cum PVFENDORFIO vellemus loqui, eius morale vocaremus eius generis qualitatem. (y)

## §. VI.

(r) Quae ad bonam definitionem requirantur, in logicis alias exponitur. Vide e.g. celeb. SYRBIUS *Instit. Phil. ration. P. I. C. X. §. XXXVII. seqq.* & saepius laudatū LEHMANNI *Logic. P. I. L. I. C. VI. §. XIII. it. Ej. Prooemium de erudit. & philosophia generatim, §. I. Not. V.* Num itaque in nostra definitione haec omnia obseruauerimus, ex sis seqq. adparebit, quibus & explanare & probare eam constitucimus.

(r) In *Philosoph. prim. P. III. C. I. §. XIV.*

(u) E. g. humidum esse, frigidum, & aliae; de quibus in doctrina physica verba faciunt, e.g. celeb. noster WVCHERER in *instit. Philos. Natur. celest. aliique.*

(x) E. g. patrem esse, imperantem, & similia. Ex quo simul conficitur, quod in sequentibus magis confirmetur, generis loco recte qualitatem moralem poni, cum plures earum sint.

(y) Vide *L. I. Iur. N. & G. G. I.*



## §. VI.

In definitione dicitur nostra qualitas speciatiim ea, qua voluntas est adstricta. In voluntate nostra, ac separatiim in libertate eius versari nostram obligationem, hoc indicauimus; illam ergo huius dicere possumus materiam, seu obiectum materiale, si aliorum more loqui liceat. (z) Voluntas vero nobis est facultas animae, qua bonum adpetit, & malum auersatur; cuius naturam, proprietates, & quae eidem accidant, more consueto, in Philosophia morali (quam vocant) exponunt vberius; (a) quare hoc labore iam superfedemus.

## §. VII.

Cum obligatione voluntas ea adstricta dicatur, quae imperio alterius subiecta; iam explanandum erit, quis imperio subfit. Sed dubito, quin perspicue satis hoc exponatur, nisi de eo, qui cum imperio est, nonnihil explicitum fuerit. Imperans enim, & ei subiectus, relatum & correlatum vocantur, quorum vnum sine altero difficulter animis concipitur. Imperantem alii Superiorem vocant; sed hac ratione addendum, quod cum potestate imperioque sit; id si obseruetur, sine erroris periculo utroque vocabulo vti possumus. (b) Ad rem quod attinet, imperantem inprimis voco, qui causam iustam habet alius imperandi. Sed qui peruersus est mos subiectorum, causae illae saepe finem imperii non prouehere possunt, ni potentia valeat ac robore, praescriptis pondus addendi, ac speciatiim

(z) Alio respectu voluntas esset id, in quo ista qualitas inest. Scholastici vocarent subiectum quo, siue partiale, ex quorum mente subiectum quod, siue totale esset ipse obligatus.

(a) Conf. e. g. celeb. LEHMANNI *Philos. moral.* L. I. C. II.

(b) Nam praeter superioritatem imperii dantur & aliae superioritates, ordinis, pota, dignitatis, & beneficii, quae non sunt huius loci, scribit illustris THOMASIVS in *Iurispr. diu.* L. I. C. I. §. XXX, qui ideo maunse imperantem eum vocare, quem alii saepe numero superiorem adpellant.



ciatim iis metum incutiendi, qui sua sponte, lata lege, officia non exsequantur; ac puniendi, si iussis superiorum non paruerint. Propterea a plerisque haec duo in descriptione imperantis coniunguntur. (c) Hinc non audiendum esse HOBBSIVM, (alii malunt HOBBSIVM) qui superiorem dicat eum, qui potentia tantum antecedit, iam alii monuerunt. Etenim quivis latro eo nomine adpellandus esset; nec, quomodo ex alicuius viribus ius imperii cuiusdam in alterum oriatur, possumus exputare. (d) Sua sponte hinc ruit imperii divini fundamentum, quod idem HOBBSIVS in potentia Dei irresistibili (vt loquitur) quaesivit. Potentiam quidem diuinam, nemo, nisi insipiens, in dubium vocabit, quam & considerare omnino conducit: sed exercitatio legis hoc ipso quidem prouehitur; omne vero fundamentum imperii diuini non est potentia. Praemittenda maxime causa iusta. Quod ad iustas attinet causas, non sine ratione quidam (e) eas ad duas tantum reuocant. Imperii diuini iusta causa est, quod plane ex eo pendeamus; id quod creatio rerum omnium, ac confer-

(c) Sic summe venerandus BVDDVS in *dissert. cir. definit. IV. Superior*, inquit, est, qui iustas rationes habet, quare imponere alteri obligationem possit, & viribus insuper pollet reluctantes cogendi. Conf. eius *Theol. Moral. P. II. C. II. §. VII.* it. in *Philos. Pr. P. II. C. II. §. III.* PVFENDORFVS *L. I. de Iur. N. & G. C. VI. §. IX.* it. de *offic. H. & C. L. I. C. II. §. V.* & quae celeb. LEHMANNVS adfert in *dissert. ei libro praemissa, §. VII.* aliique.

(d) Id efficient illius vires, vt alter metu maioris mali nolit potentiori obistere; sed timore posito, quauis oblata occasione, frenum mordebit, & suo potius, quam alius arbitrio aget, nihilque omittet, quo se se isthoc potentioris metu liberet, ac in libertatem vindicet. Conf. PVFENDORFVS *L. I. de Iur. N. & G. C. VI. §. IX. seq.* vbi hanc HOBBSII sententiam, & simul ipsius *ius omnium in omnia*, in quo illa nicitur, pluribus examinat. Adde BVDDVI summe venerandi *Theol. Moral. l. c.* aliosque.

(e) Vide TITIVM in *obseru. LVI. ad Pufendorf. & LEHMANNVS celeberr. ad eundem L. I. C. II. §. V.* it. in *dissert. prooem. §. VII.*



uatio nos docent. (f) Imperii humani causa iusta hominum consensus est. Iustam imperii diuini, quam attulimus, causam, nemo temere in dubium vocabit; consensus vero causam iustam imperii humani esse, manifestum ex eo arbitror, quia, promissis ut stemus, naturae lex nobis iniunxit. Si quis igitur alteri obsequium est pollicitus, ad obsequendum omnino est obligatus. Veritati ergo non satis consentanea proferunt, qui causas iustas in praesentia naturae, virtutis, ingeniique; item in innocentia reperisse sibi videntur. (g) Praeterquam enim, quod ex illa εἰς ἄλλο non tam ius imperii, quam habitus ad imperandum, sequatur; quoties, quaeso, ad lites inferendas haec sententia ansam esset datura? cum plerique, imperii dulcedine capti, aliis sese praestare putaturi, saltem dicturi essent; id quod vniuerso humano generi foret exitio. Nec vero beneficia possunt causae iustae esse. Beneficii ornatus ad gratum animum est quidem obstrictus; sed benefico nullum inde oritur ius, quod vocant perfectum, alteri necessitatem aliquam moralem imponendi, aut in eum imperium capiendi. (h)

B

Nec

(f) In imperio itaque diuino, si qui creationem & conseruationem per beneficia intelligat maxima, in quibus causam iustam quaerant, dandum hoc omnino est. Sic summe reuerendus BVDEVS in Theol. Moral. P. II. C. II. §. VIII. & dissert. cit. axiom. II.

(g) In hanc sententiam iam olim iuere AMYRALDVS; it. M. IO. MICH. LANGVIT C. II. Tb. IV. dissertat. primae philosophicae, de Iure Dei in homines; quae Erfurti est habita MDCLXXVI. duas habuit hac de re philosophicas, quibus theologiam anno sq. subiunxit. it. GROTIUS L. II. de I. B. & P. C. XX. §. III. quem ideo castigat summe reuerendus BVDEVS in dissert. suae laudata, desin. IV. in scholio; & in Theol. mor. l. c. Pluribus hanc sententiam confutat PVENDORFIVS l. c. §. XI. conf. celeb. LEHMANNI obseru. ad Pufend. L. I. C. II. §. V.

(h) PVENDORFIVS de offic. H. & C. L. I. C. II. §. V. ita sentit: Rationes autem, quare quis recte postulare queat, ut ab altero sibi obtemperetur, sent: si ab isto in hunc insignia quaedam bona sint profecta; si constiterit, istum & bene huic velle, & rectius, quam ipse valet, eidem prospicere posse; simulque si actu iste huius directionem sibi vindicet; cetera. Quae in obseruat. subiecta a celeb. LEHMANNO recte reiciuntur.



Nec tamen meliora proferunt, qui in *consensu hominum* nisi arbitrantur imperium diuinum. (i) Quibusnam enim argumentis comprobabunt, ius leges, speciatim naturales, ferendi, illo fundari?

## §. VIII.

Cum itaque cognitum sit, *superioris* siue *obligantis* nomine quis adpelletur; haud difficiliter intelligitur, *quis sit imperio subiectus*. Ad quem, quid requiratur, alii de industria docuerunt; (k) ex quibus intelligimus, humano imperio *homines* tantum subesse, & omnes quidem, praeter eos, qui in statu naturali (vt adpellant) viuunt. Quamuis enim & ceterae res creatae in nostra sint potestate; imperium tamen non cadit, nisi in eos, qui ratione vtuntur, cuius ope superiorem cognoscunt, ac eius iussa intelligunt; voluntatis insuper libertatem habent, ea exsequendi, quae ipsis imperantur. (l) Non desuere tamen, qui & in animantia bruta cadere obligationem sibi persuaderent. Vnde eam obligationem, quae aliis est *naturalis*, geminam faciebant, quarum *vna* ex iure naturali *omnium animantium communis* ratione earentibus quoque esset attribuenda; *altera*, quam *Iuris gentium* dicebant, hominum esset propria. Si stoicorum efflata consideremus, non potuerunt non in hanc sententiam discedere; quippe qui totum mundum putarent ratione vti.

Vnde

(i) Conf. CYMBERLANDVM l. c. cap. I. §. XXXIV.

(k) Conf. PVFENDORFIVS de O. H. & C. L. I. C. II. §. IV. it. celeb. LEHMANNVS ad b. l. qui, in subiecto, inquit, anteconstituit facultas cognoscendi, quae praescripta illa sibi reddere potest perspecta; 2) voluntas libera, quae illa eligere & exsequi valet; 3) ita etiam comparatus esse debet subiectus, vt a legislatoris pendeat imperio. Et credat, se obstrictum esse praescriptis illis morem gerere. Et his absoluitur illa aptitudo; qui ita comparatus est, ei quoque leges ferri possunt, is obligationem recipere potest.

(l) Ita saltem distinguunt imperium & dominium Iuris Nat. Doctores; quamuis apud alios vnum interdum legatur pro altero.



Vnde & lepida Iuris Nat. definitio, quod sit *id, quod Natura omnia animalia docuerit*. Sed haec sententia, quo longius ab omni similitudine veri abest; eo facilius ab aliis iamdudum est explosa & eiecta. (m) Ad imperium diuinum quod attinet, sub illo sunt omnes res creatae, quae ratione ac voluntatis libertate vtuntur, *angeli (n)* nempe & *homines*, omnes & singuli, nemine, cuiuscuius ille sit ordinis & dignitatis, excepto; cum omnes ob creationem & conseruationem ex eo pendeant. Praesenti in negotio, missis angelis, loquimur speciatim de hominibus. Et quia per obligationem maxime libertas voluntatis restringitur; hinc voluntatis alterius imperio subiectae inprimis fecimus mentionem.

## §. IX.

*In quos cadat obligatio*, iam perspeximus. Non alienum esset, aliquas praeterea attingere quaestiones huc pertinentes; sed prius operam dabimus, vt reliqua definitionis

B 2

verba

(m) Conf. VFFELMANNVM l. c. C. III. §. III. & quem in hac materia maximo opere commendat, SELDENVM, aliosque. Neque enim ceterae res creatae rationis sunt participes; neque voluntatis libertatem habent; adeoque obligationi minime sunt aptae.

(n) Si cum nonnullis faciendum, qui angelos bonos, post ceterorum defectionem, in bono, physica quasi naturae immutatione, ita confirmatos arbitrantur, vt fieri plane non possit, eos a bono proposito deflectere; in dubium venire possit, num angeli ad bonum sint obligati, cum nullum habeat vsam obligatio, eo, quod profusus sit *ad velle*, ob factam hanc eorum in bono confirmationem, vt de statu suo declinent; cum obligatio necessitas quidem sit, at moralis; ita, vt, si velint obligati, (suo tamen periculo) aliter velle & facere queant. Quod ab angelis alienum putatur. Sed non satis intelligo, qui possit isthaec necessitas physica ratione vtentibus attribui; cum praesertim, quantum memini, vix in vlllo firmo nitantur fundamento, quae ab illis dicuntur. Si mihi iam liceret esse verboso, ad rationes, quibus id doceri putant, responderem. Allegant enim varia scripturae effata. e. g. *Luc. II. 10. XVI. 26. XX. 36. Matth. I. 30.*



verba explicemus. Diximus autem, per ius illius imperandi, legesque ferendi, quod necessario postulat obsequium, efficacius adstruam esse voluntatem. His verbis obligationis significare formam volumus. Ius imperandi nobis ipsum est imperium, ex variis facultatibus quasi constatum, quas iura vocare solent *maiestatica*. Inter haec refertur speciatim ius ferendi leges

*VI, 10. XVIII, 10. XXI, 30. Gal. I, 8. I. Tim. V, 21. Rom. VI, 7. Act. X, 22. V, 19. II. Thessal. I, 8. II. Cor. XI. Iob. I, 6.* Quibus argumentis passim Theologi nostri vtuntur ad angelorum in bono perseverantiam, & incrementum beatitudinis eorum, probanda; non tamen semper, puto, ad *physicam naturae angelicae immutationem* firmandam. Vnde qui eorum legendorum fuerit cupidus, euoluat e.g. Wittebergensis Theologi IO. DEVTSCHMANNI *observat. in LEONHARDI HVTTERI compendium Theologiae*; IO. AD. SCHERZERI, Lipsiensis, *systema Theol. loco IV. §. XIV. p. 105. seq.* IO. GVIL. BAIERI nostri B. M. *compend. Theol. Posit. P. I. C. III. §. XXXVII. seqq.* Quique varias praeterea, Arminianorum praesertim, scire cupit opiniones hac de re, legat summe venerandi BVDEI *Institut. Theolog. dogm. L. II. C. II. §. XXXI.* quae iam omittenda sunt. Si qui rationum numero (si non semper pondere) inducatur, vt angelis libertatem, quam antea habuerint, ablatam esse credat, pace mea id fecerit. Nec tamen periculosum videtur aliter sentire. Neque ego dixero, angelos vnquam defecturos esse, si etiam libertas illa ipsis adhuc sit integra. Namque, cum iam ante ceterorum rebellionem viribus iis fuerint, quibus in officio se continerent, si vellent; deinde beatitudinis suae, a Deo post ceterorum defectionem haud dubie insigniter auctae, fastidium, grauissimam item, quae ceteris improborum angelorum turbis iam obtigit, poenam, in illos olim multo magis fauorituram, satis perspiciant; in bono ita continentur, vt plane, mea quidem sententia, fieri nequeat, eos a Deo vnquam deficere. Quae tamen esset necessitas moralis, nullam confirmationem physicam, aut naturae angelicae immutationem ante constituens. Et de hac morali Theologorum plurimi confirmatione, quae angelorum ipsorum magis fuit, quam Dei, loquuntur, credo, quum ita eos dicunt in bono confirmatos, vt non amplius excidant. Sic etiam angelis obligationem iure attribuimus.



leges, cui respondet in subiecto obsequium, sine quo illud finem adipisci nequit. Cum itaque voluntas hominis libera, cum ad bona vera, tum ad ea, quae ita videntur, qualia etiam vitia sunt, propendat: imperans vera bona praecipere, quae ita modo videntur, vetare debet, si quidem subiectum ad finem dirigere velit. Adstringit ergo voluntatem, eiusque libertatem ad vera tantum bona, atque hinc fluentes virtutes. Voluntas quidem ipsa ita comparata est, ut natura propensa sit in bona; sed praeterquam, quod in ea, quae ita videntur, ferri etiam soleat, a quibus arcenda, propensio illa quoque tantum est, quae efficacior fit, si alius a nobis postulet, cui obsequi omnino debemus. Sed haec facilius sentiuntur & intelliguntur, quam explanantur.

## §. X.

*Finem obligationis proximum in eo quaesiuimus, ut hac ratione facilius agat, omittatque, quae lex praescripsit.* Ad quae propendet voluntas, facile quidem peragimus; sed si insuper alia accedat ratio, quae pondus addat, paratiores sumus ad illa exsequenda. Prouehitur hac ratione ipsa legis exercitatio; quae ideo finis ab illo quodammodo est remotus. Quae autem hac ratione facienda sunt, aut intermittenda, illa pars legis indicat, quae definit agenda aut omittenda. (o)

## B 3

## §. XI.

(o) Cum enim nulli futura esset vsui subiecti obligatio, si ipse, quid sibi faciendum, nesciat; per leges ut ipsi hoc pateat necesse est. Non dubium est, quin obligatio fuerit, quamprimum genus humanum exstitit; quaestio hinc exoritur, num per leges ea hominibus illis temporibus innotuerit. Dubium hoc eo videtur, quod leges multo post a nonnullis dicantur esse exortae. Alii CEREREM, RHADAMANTVM, & alios, nescio quos, leges primas dedisse perhibent. Alii MOSEN omnium primum leges, a Deo datas, Israeliticis promulgasse dicunt, quem ceteris legum latoribus longe antiquiorem putant. Apud Graecos praesertim nouitatem concludit



## §. XI.

Vt cuncta plane perspiciantur, magnam nobis adfert utilitatem, si etiam *legis* intelligamus *vim et naturam*. (p) Variæ illius passim leguntur definitiones, (q) quas tamen transferi-

ESTIVS in *Epist. ad Rom. C. II. p. 24.* quod vocabulum *νόμος* apud *Homerum* nusquam legatur, quod latinorum legi respondeat. VALENT. ALBERTI, Lipsiens. in *compend. Iur. Nat. orthodox. Theolog. conform. P. I. C. I. §. VIII. not. k.* ad hæc respondet, quod ista vox tamen existet apud *Hesiodum* (*Homero* si non antiquiorem, certe non iuniorum multum) *ἔργ. c. v. CCLXXIV. Θεογον. v. LXVI. etiam apud Homerum v. XX. hymni in Apollinem.* Huc accedit, quod, etiam si vocabulum *νόμος* non occurreret, reperitur tamen verbum *δέμος*, e. g. apud *Homer. ib.* alibique. Conf. quæ pluribus de legum origine adfert POLYDOR. VERGILIUS de *rer. invent. L. II. C. I.* Quemadmodum vero, quæ de novitate legum a nonnullis dicuntur, ad leges humanas, præsertim scriptas, pertinent; ita ex eo minime gentium efficitur, nullum ante existisse obligationis nostræ indicium. Homines enim nunquam mente concipiuntur, nisi conditorem eorum ac opificem anteconstituas; quem si esse ponis, etiam imperans adest, & obligatio, & leges. Neque vero has semper fuisse literis custoditas necesse est; cum leges Nat. a Deo primo statim tempore latae, hominibus quid agerent, omitterentque præscripserint; quæ lex nat. per rerum fines ipsi sunt promulgatae prius, quam humanus esset imperans, qui ferendis legibus daret operam.

(p) Qui de legibus scribere, *vocis originem* variè tradunt, aliis a *legendo*, aliis ab *eligendo*, aliis a *ligando* deducuntibus. Sed nobis stoicorum more non licet studiose iam exquirere, vnde verba sint ducta. Si qui vero isthæc legendi sit cupidus, conferat CICERONEM *L. I. de leg. C. VI.* adde quæ a sæpe laudato LEHMANNO ad *Puffendorf. L. I. C. II. §. II.* disputantur, it. in *prooemio institutionum Iur. N. & G. §. VI. nota I.* BALTH. MEISNERI *dissert. de legibus L. I. Qu. I. p. 4-10.*

(q) Qui eas legere cupit, evolvat PUFFENDORFIVM de *off. H. & C. l. c.* ubi in *observat.* a doctissimo LEHMANNO earum nonnullæ examinantur; adde S. R. BVDDI *dissert. cit. def. III. Schol. in primis MEISNE-*



scribere & examinare nostrum non est. Nobis *lex est decretum imperantis, quo sibi subiectis addita obligatione declarat, quid agant, quidque omitant, ut norma adsit, secundum quam actiones ipsorum suscipiantur & examinentur.* (r)

## §.XII.

RVM l. c. Qu. IV. qui p. 52-61. veterum philosophorum, patrum, scholasticorum, ICtorum, & recentiorum auctorum definitiones congescit.

(r) Per legem plura solent indicari, quas significationes varias MEISNERVS l. c. p. 10-15. vna cum *vocabulis idem significantibus congescit.* ANTONIVS MVRETVS in *I. Tuscul. Ciceron. p. 187.* ad sex eas reducit modos veteribus consuetos, quos qui velit nosse, conferre etiam poterit celeb. LEHMANNVM ad *Pufendorf. l. c. p. 81. sq.* Et in *doctrina physica, & morali legum saepe incidit mentio.* Ad illam quod attinet, *ordinem lex significat, dispositionemque rerum naturalium ad certum agendi modum.* Vnde toties de *legibus motus verba faciunt.* In significatione *morali vel omnes actionum humanarum normas complectitur, ut ne consilia & amicorum monita excludat; vel consilia & monita modo laudata excludit; qui sensus legis proprius est, quo a nobis quoque iam est descripta.* Non nego, & consilia & monita ab imperante dari posse, non vero quatenus consideratur ut imperans. Sed in sequentibus legum atque consiliorum discrimen ostendendi se offeret occasio. *Generis loco posui decretum imperantis; quorum plura dari neminem fugere arbitror. Si normam actionum vocauissem, genus fuisset remotius.* Reliqua definitionis verba naturam legis eiusque ab aliis imperantis decretis discrimen ostendunt. *Natura ipsius ex fine primum cognoscenda est.* Voluntas nimirum hominis, utpote libera, propendet in bona; interdum tamen etiam in ea, quae talia modo videntur, ferri solet; necesse itaque est, ut ipsius libertas restringatur. *Hoc finis est legum; ex quo earum natura facile intelligitur; vnde porro efficitur & concluditur, legis esse, agenda & omittenda praescribere.* Frustra vero id plerumque fieret, nisi adderetur *obligatio; duae igitur partes a nonnullis ad legem perfectam requiruntur, pars definitiva, quae vocatur, & obligatio; de quibus plura legi poterunt in observ. ad Pufendorf. doctissimi LEHMANNI L. I. C. II. §. VII.* Pluribus & explicari & probari potuisset legis definitio, si de industria de lege verbius esset agendum. Hoc tantum addo, quod *leges permittentes,*



## §. XII.

Quum voluntatem diximus esse adstrictam, vt agat omit-  
tat-

quae a TITIO & BARBEYRACIO admittuntur, eo ipso sint reiciendae, quia ad omnem legem obligatio requiritur. Cui vero permittitur aliquid ab imperante, eum voluntati huius non aduersari, nec poenam daturum existimamus, si intermiserit. Sed cum pluribus idem VIR doctissimus in *observation. ad l. c. §. III.* de his disputauit, nolo iam hac in re longus esse. Obligatio legis, cuius mentio in definitione incidit, si adcurate loqui velis, est a superiore, qui per legem obligat. Vnde CYMBERLANDVS de *leg. Nat. C. V. §. XXVII. p. 242.* Obligat, inquit, legislator per legem sufficienter promulgatam. Hinc facile adparet, quo sensu interdum de obligatione legis verba faciunt nonnulli, vt superioris nulla fiat mentio; quem tamen ante constituunt. Praeclare hac de re PVENDORFIUS de *Iur. N. & G. L. I. C. VI. §. XIV.* Probe obseruandum, inquit, quod omnis vis legis proprie consistat in significando eo, quid superior a nobis fieri velit, & quae poena violatores legis maneat. Ex quo etiam intelligitur, quo sensu legi vis obligandi tribuatur. Nam proprie vis obligandi, i. e. facultas necessitatem intrinsecam afferendi ad quid praestandum, est in eo, qui habet imperium. Lex autem huius diuina est instrumentum, per quod subiecto voluntas imperantis innotescit; qua cognita per vim imperii obligatio in isto producitur. Quaeritur porro, num omnes leges, etiam iniustae, sint actionum norma? vel num per legem iniquam imperio subiecti ad aliquid possint adstringi? Circumspectione opus est & distinctione. Si de legibus diuinis sermo est, sine piaculo isthaec quaestio nequidem mouetur; cum earum nulla vnquam fuerit, nec esse potuerit iniusta. Sin de humanis intelligatur, secus se res habet, si per legem ea praecipuntur, a quibus leges diuini Numinis dissentiant; (tunc enim magis Deo quam hominibus est obediendum) quam si ea nobis iniungantur, quae fieri quidem nefas non est, sine iniuria tamen non praecipuntur. Posterius si euenit, aliquis vel alius iustus est cum imperio; tunc prouocare licet ad eum, penes quem summum est imperium: vel legislator in statu naturali viuic, neque ex illo alio pender; tunc aliter est statuendum. Si enim non manifesto animum erga ciues vniuersos hostilem prodat, legesque (vt vocant) fundamentales, si adsint, funditus tollat, obligatos censent subiectos etiam, imperanti vt id praestent, quod haud dubie contra ius fas-



tatque, (s) quae lex praescribit, facile existimari potest, illarum duntaxat actionum haec rationem esse habendam, quae a voluntatis libertate suscipiuntur, non illarum, quae nobis invitis & nesciis, ex constitutione & dispositione causarum naturalium accidunt. (t) Nec puto fore, qui caudē

C

hoc

que ipsis imperatur. Quod si singulis civibus liberum semper esset, de legum iustitia inquirere, & inique latis obedientiam denegare; quae, quae! rerum humanarum conditio inde esset exitura? Ea namque plurimum est morum perversitas, & improbitas, ac libido a ceruicibus imperii iugum deiciendi, ut ne legum quidem iustissimarum executionem susceptum iri credam; quo nil maiori noxae hominum generi esse posse videtur. Hinc obscurum esse nequit, quo sensu sint admittenda, quae L. VALENT. ALBERTI in *comp. Iur. Nat. cit. Part. II. prolegom. §. IV.* scribit: *sola lex iusta vim obligandi de iure habet, quam iniusta de facto tantum sibi vendicat, quia prohibenda praecipit, & praecipienda prohibet. §. V. Imo, quo iustior est lex, eo maiorem obligandi vim de iure possidet.* Et postquam §. VI. legem iustam pariter ac iustiozem descripsit, §. VII. ait: *utraque obligat moraliter, quia est iusta.*

(s) Quod agere, & omittere nos dicimus, alii praestare vocant. Generatim itaque hoc verbum & de actionibus, & omissionibus, & perpetrationibus interpretantur. Conf. celeb. SYRBI definitionem supra §. IV. laudatam. Obligati namque sumus alteri, e. g. ut non modo benefici sumus, liberos educamus, & instituamus; quae actiones restricto sensu vocantur; sed etiam, ne cui noxae sumus; ne Divinum Numen contemnamus; ne nos in periculum temere inferamus, & cetera eiusmodi; quae pertinent ad *intermissiones*. Nostrum etiam est, aequo ferre animo, quidquid aduersi nobis acciderit, & similia.

(t) Nota namque est (si de hominibus sermo sit) actionum distinctio in *hominis, & humanas*. Sic in nostra non est potestate sternere, e somno expergesteri, & alia eiusmodi; loqui vero, alteri benefacere, damnum inferre, nostri reliqua, nostri sunt arbitrii. Cum itaque haec actiones, non illae a voluntate sint; in his obligationem versari, non in illis, sine haesitatione dicimus; cum illae ex causis naturalibus necessario hoc, non alio modo fiant; adeoque necessitatem quidem ante constituent, sed physicam, non moralem. Supra



hoc interpretetur, vt de iis etiam, quae fieri plane nequeant, intelligat. (u) Vix vnquam per leges *ad vna* praefcribuntur; & si eueniret, nulla ratione ad ea praeflanda fumus obligati; quod ex ipsa obligationis & legum natura est manifestum.

## §. XIII.

Definitione, quoad eius facere potuimus, explanata, breuiter eam instituimus probare. Nostrum erat munus in obligationis definitione eiusdem naturam exprimere; quod, an ex sententia successerit, sequentia patefacient. Altius rem repetamus. *Obligatio est quaedam res moralis, quarum rerum natura primum ex fine earum cognoscitur;* Ergo

vero iam ostensum est, obligationem non nisi liberam in voluntatem cadere. Haec ratio strbfuit, cur neque in animantia bruta, neque in alias res, a Deo praeter homines & angelos conditas, obligationem supra dixerim cadere; cum motus quidem naturales in iis deprehendamus, quae tamen a libera voluntate non proueniunt. Quem enim ad finem alteri lege quadam significarem, vt ex mea voluntate aliquid praestet; si ad vnum tantum agendi modum necessitate quadam physica alter adstringatur? Illustr. THOMASIVS in *Inuigr. diu. L. I. C. I. §. CXXXV. Formalis ratio, inquit, obligationis consistit in restrictione libertatis. Si quaeigitur libertatem non habent; qui potest ea restringi?*

(u) *Ad impossibilia neminem obligari*, iam olim quasi in prouerbio fuit. Vide iurium peritos, vbi praesertim de contractibus & pactis sermones nectunt. Haec *ad vna* bifariam distribuitur; altera physica est, moralis altera. Illa est, qua, si maxime velimus, tamen exsequi iussa nequeamus. E. g. si quis pauperi talentum auri imperet, qui vix trium obulorum diues sit. Vel si quem iubeat intra paucos dies Taurum montem demoliri. Opus heic aliqua est difficultate. Si namque is, quem Imperans aliquid iubet praeflare, eo tempore, quo obligatio ipsi est impolita, iis viribus fuit, vt praeflare possit; quibus dein sine admisso flagitio aut culpa deficitur; tunc obligatio est nulla. Sin vero sua culpa ex Croeso factus fuerit frus, vel luxurie, vel incuria, alioque modo; obligatio isthaec



Ergo in *finem* obligationis est inquirendum. Omnium rerum opifex intellētu homines voluit esse praeditos, vt bonum a malo discernent, itemque voluntate libera, vt alterum horum adpeterent, alterum auerterentur. Quae causa subfuerit, neminem puto latere; cum ex parte Dei ipsius honor in omnibus operibus actionibusque diuinis pro fine sit habendus. Ex parte hominis dubio procul felicitas & huius vitae & aeterna. Felicitas haec sine ipsius conseruatione non est; hanc conseruationem vero nec sine boni,

C 2

no-

nenquam tollitur. Quamuis enim obsequi nequeat Imperantium iussis; id tamen efficitur, vt ipsum luere oporteat (proverbio dicunt) in corpore, quod non habet in aere. Conf. PVENDORFIUS de *Iure N. & G. L. I. C. V. §. XVI.* Sic obligati sumus, vt omnia, quae lex moralis praecipit, praestemus, quamuis nemo mortalium par sit iis praestandis. Sed cum ipsi in culpa sumus, quod vires nos deficient: nullam nobis iniuriam a Deo inferri, Theologi statunt; quos vide, si lubet. *Αδύναμις* altera est *moralis*, a turpitudine non alia, si cui id praecipitur, quod sine legum diuinarum contemptu, adeoque sine flagitio, & Summi Numinis offensa facere nequeat. Omnium summus Imperans Deus est, cuius iussa alia nunquam esse possunt, nisi sancta. Non igitur est verendum, ne ab eo iubeamur ea agere, quae ab honestate sint remota. Sed si imperans humanus, cuiuscuius est dignitatis, talia nobis iniungit, quae diuinis legibus sunt contraria, ea referuntur ad *αδύναμις*, neque a nobis sine scelere fiunt. Conf. praeclarum illud PETRI apostoli effatum, *Act. IV. 19.* Imperantibus enim humanis ideo patemus, quia lex nat. vel potius eius dator, DEVS OPT. MAX. id nobis iniunxit. Ecceui vero persuadebitur, Deum in iis velle nos hominum iussis esse dicto audientes, quae si patremus, ipsius Dei leges negligamus? Sed haec iis iam nota sunt, qui quid contentio legum sibi velit, ex iure nat. sunt edocti. Conf. quae de *αδύναμις* disputant PVENDORFIUS de *offic. H. & C. L. I. C. IX. §. XVII.* & in *opere mai. L. III. C. VII. §. 1. seqq.* it. *L. I. C. V. §. VIII.* GROTIUS de *Iur. B. & P. L. II. C. XIII. §. VIII. seq.* MEISNERVS de *legibus L. I. Qu. V. p. 62-70.*



noxiique notitia, nec sine facultate, id, quod profit, adpetendi, auerſandi e contrario, quod noceat, conſequentur; ergo his anima facultatibus vt eſſet praedita, neceſſe fuit. Libertas autem voluntatis niſi reſtringeretur, finis ille fruſtra propoſitus eſſet mortalibus, cum facile, impetu quodam abrepti, id agant, quod omittendum, omittantque, quod agendum. Ad bonum quidem ſua natura voluntas propendet; ſed opus erat, vt alia quoque ratione ad agendum impelleretur, vt eo promptius ſuum coleret munus & efficeret. Id fieri poterat vel *quadam vi naturali*, cui homo non poſſet obſiſtere, ſed, nolit, velit, id ſuſcipere deberet, quod conduceret; vel *quadam vi ſiue neceſſitate morali*, quae, intellectus praemiſſa cognitione, in voluntatis quodam impulſu (ſalua tamen eiusdem libertate) eſſet poſita. Illam vim, ſiue neceſſitatem phyſicam, ſi adhibere voluiſſet clementiſſimum Numen, nullum habuiſſent uſum illae facultates; fruſtra ergo inſitae fuiſſent, quod repugnariſſet diuinæ ſummae perfectioni. Ergo moralis, qualem modo deſcripſimus, adhibenda erat; quam obligationem dicere moris eſt. (x) Cuius neceſſitate ſatis perſpecta, neque finis eiusdem poteſt obſcurus eſſe; vt nempe hominis libertas reſtringatur, adeoque voluntas procliuior ſit ad ea exſequendum, quae hominum finem prouerent. Qui finis naturam ipſius obligationis atque vim patefacit. Quum enim per hanc neceſſitatem moralem augenda ſit voluntatis propenſio; voluntas ac ſpeciatiim eius libertas non poteſt non materia fieri, in qua verſari debet obligatio. Reſtringenda vero & magis impellenda eſt, ſi finem adipiſci velimus; ergo ipſa obligationis forma in his ponenda. Haec vero ante conſtituunt eum, qui ius habet & leges ferendi, & voluntatem alterius liberam reſtringendi, magisque impellendi. Hoc ius nemini poſſe attribui, niſi ſuperiori, ex im-

(x) Conf. ſaepe laudatum LEHMANNVM in *diſſert. prooem. ad Pufendorf. de offic. H. & C. §. VIII. p. 8.*



perantis descriptione, & sine imperii patet. (y) Posito hoc imperantis iure; statim & obsequii necessitas adesse debet, cum relata & correlata natura sint simul. Si quis itaque se sciat imperio subiectum, & dirigendi aliorum actiones imperanti ius esse tribuendum; ratio proxima, quare hoc agere, illud omittere ex imperantis voluntate debeat, est, quoniam ius imperanti est, hoc agendum, illud omitendum praescribendi; quod necessario postulat obsequium. Si porro cogitemus, ad quam rerum classem referenda sit obligatio illa, in qualitatatum numero locoque duccendam videmus. Cumque physicis qualitatibus superaddita quasi sit, merito adpellauimus moralem. Cumque in homine plures insint huius generis qualitates; (z) quid obstat, quo minus generis loco ponatur *moralis qualitas*, non video. Ex humanae ergo naturae conditione obligationis necessitatem cognouimus; quae eius patefecit finem; qui materiam obligationis aperuit, & formam, ex quibus conflatur differentia; quibus positris facile intelligebamus, ad quem rerum ordinem obligatio referenda, id quod genus indicauit. Natura ipsa ergo & vis obligationis ita patefacta & confirmata fuit. Quae omnia, cum in definitione quoque sint dicta; dubium non est, quin ea veram obligationis naturam expresserit, atque sic suo functa sit munere.

## §. XIV.

Ex his, ac praesertim necessitate obligationis satis confirmata, perspicuum sit, esse eius generis qualitatem in rerum natura, quam obligationem vocauimus. Qui enim constituit finem, non frustra positum, sed explendum,

C 3

DE-

(y) Vnde quid respondendum sit, si existat quaestio, vtrum in Deum obligatio cadat? vtrum aequales, aut nos ipsi nobis hanc moralem necessitatem imponere queant? & similia, facile potest iudicari; de quibus tamen infra breuiter explicare instituiamus.

(z) E. c. seruum esse, patrem, imperantem.



DEVS, is etiam propter summam perfectionem non potuit non omnia subministrare subsidia, quibus finem illum adipisci queamus. Atque cum eius generis subsidium necessarium quoque sit nostra obligatio, *quin sit*, nemo dubitabit. Ita ex priori, ut loquuntur, illum cognoscimus existere. Si vero praeterea diligenter attendimus, quae in nostra mente, ac speciatim voluntate peragantur; inter alias ipsius qualitates etiam observabimus, eam, praemissa iuris imperantis (quod necessario postulat obsequium) notitia, ac consideratione ad agendum & committendum fieri proclivorem, quam si nuda quadam propensione bonum adpetat, & malum fugiat. Hanc itaque voluntatis qualitatem inesse in nobis, experientia confirmat. Idem etiam multa & philosophorum (a) & scriptorum sacrorum (b) effata testantur

(a) Illustris PVENDORFIVS, cum L. I. de offic. H. & C. C. II. §. V. quis imperantis nomine adpellandus esset, (cui nempe sint vires, & causae iustae) exposuisset; de his ita explicat: *Postquam quid velit, significavit, necessum est in animo hominis oriri metum reverentia temperatum; illum quidem ex potentia; hanc autem ex consideratione causarum, quae etiam remoto metu allucere aliquem debebant ad istius voluntatem amplectendam.*

(b) In multis enim sacrarum litterarum effatis obsequii ratio nulla alia adfertur, nisi summi Numinis ius atque in homines imperium. E. g. cum decem verba (ita enim vocant) per Moysen Israelitis promulganda essent, hac loqui Deus ratione incipit: *Ego sum Iehoua DEVS tuus, qui eduxi te e terra Aegypti, e domo servorum. Ne esto tibi vllus deorum alienorum ante faciem meam.* Conf. Exod. XX, 2. seq. Deuter. V, 6. seqq. VI, 4. seq. it. 12. Cumque ante Aegyptiorum regi Pharaoni per Moysen ut Israelitarum gentem sedibus suis exire pateretur, iniungeret, Exod. VIII, 1. ita verba faciebat: *Ita ait Iehoua, dimitte populum meum.* Interdum etiam iustam divini imperii causam scriptores sacri addunt. Sic Esa. XLVIII, 12. seq. *Ausculta mihi Iahakob, & Israel vocate a me; Ego ipse sum primus, etiam sum vltimus. Etiam manus mea fundavit terram, & dexterarum*



tur. Est ergo talis res, quam vocauimus obligationem. Id quod vel ideo notandum, ne, qui aliam prorsus adferunt definitionem, perperam & sibi & aliis persuadeant, nos cum laruis luctari. Hanc qualitatem verò obligationem vocari solere, multa philosophorum firmant & docent scripta, (c)

## §. XV.

*De Natura verae obligationis* adhuc explicuimus; breuiter explanandum restat, in quo verus eiusdem vsus consistat, quosque ex ea obligationis accommodatione possimus capere fructus; ne pro re quadam inutili plane, ac minus necessaria, tanquam pro aris & focis pugnasse videamur. Quem vero obligatio ipsa, qualis a nobis est definita, vsum habeat, ex ipsius sine intelligitur, in quem supra inquisiuimus, vt necesse non ducamus ea iam repetere. Debebant nimirum per hanc voluntatis qualitatem eo magis ad legi obsequendum homines impelli, vt & legum, & ipsius hominis finis eo facilius obtineretur. Hunc finem a Deo

*meae palmus expendit coelos: me vocante ea, consistunt pariter. Sed quid opus est, vt hac in re simus longi?*

(c) Id quod ex variorum obligationis definitionibus, quorum nonnullas §. IV. p. 4. seq. transcripsimus, videtur esse perspicuum, quas denuo hic recitare, inutile est & superuacaneum. Inprimis tamen conferri etiam meretur PVFENDORFIUS de *Iur. N. & G. L. I. C. VI. §. XIV.* vbi cognita, inquit, *imperantis voluntate, per vim imperii obligatio in isto (subiecto) producitur.* Sed pluribus illustris auctoris sententia patefiet, si & ea considerentur, quae l. c. praecedunt, quaeque a nobis supra §. XI. not. (r) p. 10. transcripta sunt. Idem VIR celeberr. loco iam laudato §. I. *lex suis, inquit, non debet carere rationibus; hae tamen proprie causae non sunt, quare ipsi obsequium praestetur, sed potestas praecipientis, qui, vbi voluntatis suae decretum significauit, obligationem subdito adferre omnino iuxta praescriptum suum faciendi; etsi fors ipsi rationes praeepti haud ita liquido adparent.* Vt alios breuitatis amore ducti heic iam omittamus.



a Deo frustra intendi, dici nequit, cum a summa ipsius perfectione id sit alienum. Ergo omnem curam studiumque in id conuertere homines debent, vt huius obligationis ope legibus imperantium eo magis obsequantur. Si hoc ab ipsis fiat, obligatione ita vtimur, quemadmodum decebat. Ex ipso hoc vero obligationis vsu non possunt non in ipsa hominum vita fructus prouenire vberissimi. Cum enim procliuiiores fiant imperio subiecti, ad legibus eo magis parendum; hoc ipso & legum & imperii finis facilius obtinetur; vnde porro ipsa hominum tranquillitas & felicitas prouehitur. Huic obligationi vero locus praesertim est apud eos, qui non propter vile & damnum actiones a lege veritas aut praeceptas suscipiunt; sed propterea, quia se sentiunt ob ius alterius obedire legibus debere. Dubium mouere possent, qui obligationis fundamentum quaerunt in commodorum aut incommodorum representatione. Non negamus ea ipsa hominis voluntatem ad agendum quidquam aut omittendum impellere & allicere; (d) sed si ad commoda & incommoda res omnis redeat, facillime quidem imperantis iussis erunt dicto audientes, quando maioris momenti fructum ex obsequio legi praestito capiant, aut magnum hac ratione periculum euitare queant. Quod si vero non adeo magni momenti periculum sit metuendum ex actione legi contraria, aut vtile per obsequium illi praestitum nobis obtingens sperandum; facillime & saepissime imperio subiecti ad leges perfringendas & perumpendas, minimum negligendas inductum iri credimus; vnde haud raro contra imperantium, atque sic etiam DEI voluntatem actio-

(d) Late fuseque possemus de fundamento iuris in utilitate non quaerendo disputare; sed nobis non licet tam prolixis esse; si quis tamen nonnulla de his scire cupiat, PVFENDORFIUM enouat de *Iur. N. & G. L. II. C. III. §. 10. sq.* vbi contra *Carnadem* aliosque pluribus differit. Idem auctor illustris *l. c. L. I. C. VI. §. XIV.* contra eos disputat, qui vtile nos obligare arbitrantur.



actiones vetitas suscipere, praeceptas e contrario intermittere. Idque vel ii suo exemplo comprobant, qui spreto diuini Numinis legibus ex vtilitate & incommodis omnia metiuntur, nullam suarum actionum aliam agnoscentes normam. Sique rem omnem accurate perpendas, commodorum & incommodorum considerationem nihil efficere, animaduertes, nisi vt executionem legis prouehat; quae exercitatio ipsas leges, eiusque omnem vim ac naturam, adeoque speciatim etiam obligationem, quae pars legis est, ante constituit, & imperio subiecti obligantur, quamuis earum vtilitatem non respicias. Equis igitur dubitet, quin necesse sit, magnamque nobis adferat vtilitatem, si hanc obligationem admittamus, eaque ex Dei praepotentis intentione ita vtamur, vt procliuius simus ad voluntati legibusque & ipsius Dei, & imperantium humanorum obediendum?

## §. XVI.

Illustris THOMASIVS obligationem in metu periculi & spe lucri quaerere mauult. Cum vtroque actiones vel ita implicitas esse atque cohaerere putat, vt, si suscipiantur, necessario, & ex causis naturalibus, aut periculum nobis inminent, aut e contrario sint lucri; vel ex libero quodam humano arbitrio pendere, & lucrum, & periculum. Hinc obligationem bipartito distribuit, vt aliam vocet *internam*, aliam *externam*. (e) Non est inficiandum, considerationem & vtilitatis, & periculi, quae actionem quandam

D

quo-

(e) Conf. eius *Fundam. Iur. N. & G. L. I. C. IV. §. LXI.* vbi vtramque his verbis finiuit: *Interna est, quae oritur ex conscientia periculi naturalis, ex ordinatione potentiae primae & aeternae necessario operantis, vt vitari non possit, vel lucri ex natura rei etiam necessario profluentis; externa, quae oritur ex metu & spe lucri & periculi incerti, ab arbitrio humano dependentis, quod absentia forte eludit, vel alio modo vitari potest. In obseruat. XXVII. Obseruat.*



quocunque modo comitantur, multum prodesse, & ascendendae voluntati, & ipsi legum executioni. Si cui igitur placitum fuerit, hanc voluntatis inclinationem, ex metu periculi, aut spe alicuius commodi oriundam, vocare obligationem, nostra pace id fecerit. Praeter hanc tamen obligationem esse aliam quoque statuendam, ex iis constare videtur, quae ante a nobis sunt disputata. Cumque plurimi nobiscum faciant, eam voluntatis qualitatem vocantes obligationem, qua propter ius alterius legi obtemperat; neque argumenti & rationis quidquam adesse arbitremur, quare hunc loquendi morem deseramus; ad legis executionem id referre maluimus, in quo obligatio ipsa ab illius THOMASIO ponitur. Quid igitur de interna & externa obligatione sentiamus, facile ex his poterit existimari. (f)

§. XVII.

*Hallens. To. VI. metus poenae tantum mentionem iniecerat. Interna est, inquit, cum homo, cuius voluntas alio inclinatur, metuit gravius malum, ex naturali connexionem oriundum. Externa est, cum homo, cuius voluntas alio inclinatur, metuit gravius malum, a libero arbitrio eius dependens, qui potestatem habet talia inferendi. Quo loco simul eam obligationis descriptionem, quam in Iurispr. diu. L. I. C. I. §. CXXXIV. antea posuerat, ad externam tantum pertinere monet, non ad internam.*

(f) Non sine censura de hac distinctione obligationis meminerunt celeb. SYRBIUS, in *philos. prima Part. I. C. VI.* & GRIEBNERVS *l. c. L. I. C. I. §. I. not. IV.* quorum posterior ita ibi disserit: *Notissime THOMASIVS obligationem in metu consistere tradidit, -- sed metus potest esse sine obligatione, potest etiam obligatio esse sine metu; saltem non alius hic, quam legitimae potentiae metus locum habere potest. Dicitur de obligatione interna & externa. Adde doctiss. LEHMANNVM ad Pufendorf. L. I. C. II. §. III. p. 86. sq. & L. I. C. I. §. XV. pag. 50.* Hoc etiam in hac distinctione videri posset dubium, externam tantum de spe lucri & metu periculi intelligi, quatenus ex hominum arbitrio utrumque pendet; cum etiam poenae arbitrariae & positivae (ita vocant) a Deo iis irrogentur, qui leges perfringere non habent religioni, minime vero naturales tantum. Certe, cum tex-



## §. XVII.

Idem iudicandum de iis, quae hac de re a celeberr. CHRISTIANO WOLFFIO docentur, qui obligationis vim & naturam pariter quaerere mauult (g) in commodorum & incommodorum consideratione, qua voluntas hominum ad agendum & omittendum impellatur. Hinc qua ratione obligationem finiuerit, (b) facile est iudicatu. Cumque omnem obligationem dixerimus, &, propter obsequii rationem in alterius iure leges ferendi quaesitam, dicere debuerimus, esse a superiore; in omnia alia VIR modo laudatus discedit, qui obligationi locum esse statuit, etiamsi Deus non existat.

D 2

Ex

ram vniuersam aqua inundaret, cum vrbis Sodom incolas funditus perderentur, (& si qua sunt de genere eodem) poenae non erant naturales. Vnde si obligationem vocare vellemus hunc poenae, aut, si maui, periculi metum, spemque lucri, externa respicere quoque deberet ad periculi metum, spemque lucri, quae sunt arbitrii diuini. Obligationem internam externae praeferunt, maiorisque faciendum censent, qui vtramque admittunt. Vnde idem in *Fundam. cit. cap. prooem. §. XI. internam nobilissimam vocat obligationis speciem. Et L. I. C. IV. §. LXIII. sq. Internam magis esse obligationem sapientis, quam externam putat. Conf. etiam obseru. cit. §. X.*

(g) In ratione praedilectionum suarum in *Mathesin & Philosoph. vniuersam Sect. II. C. VI. §. VII. sqq. p. 191. sq.* se antea (in *dissert. de philosoph. pract. vniuers.*) obligationem oriri putasse dicit, a metu per sanctionem poenalem producto; sed, accuratius re perpenſa, se reperisse, legum naturalium rationes ideo mentem ad volendum actiones iis conformes impellere, quia nobis persuadeant physicam earum bonitatem.

(b) In *denen vernünftigen Gedanken von der Menschen Thun und Lassen, P. I. C. I. §. VIII.* Einen verbinden etwas zu thun oder zu lassen, ist nichts anders als einen Bewegungs-Grund des Wollens oder nicht Wollens damit verknüpfen. -- Was demnach den Bewegungs-Grund giebt, -- dasselbe verbindet uns sie zu vollbringen oder zu unterlassen. §. IX. -- Das gute und schlimme, was wir in den Handlungen antreffen, sind die Bewegungs-Gründe des Wollens und nicht Wollens.



Ex quibus factum, vt in *atheos quoque obligationem cadere dixerit, etiamsi Deum existere negent.* (i) Ad illa quod attinet, per nos ipsi sane est liberum, quo nomine adpellet voluntatis inclinationem ex commodorum & incommodorum consideratione oriundam; hanc tamen, de qua adhuc differuimus, voluntatis qualitatem, qua per ius alterius ad obsequendum legibus fit procliuior, in nobis non inesse, vix probari poterit. Plura iam vt addantur, neque tempus, neque aliae *περιπτώσεις* permittunt.

## §. XVIII.

Haec nostra, de verae obligationis natura, tractatio, vsui quoque erit in quaestionibus variis huc spectantibus recte intelligendis, & controuersis diiudicandis. Quam late haec res pateat, vt eo magis adpareat, earum nonnullas specimenis loco attingere constituimus. Quaestio sit, *virum in Deum quoque cadat obligatio?* Cum a superiori subiectis imperio imponatur omnis obligatio, diuinumque Numen nullius imperio subesse possit, nisi plane Deum dari negare velis; nulla profecto ratione possum exputare, a quodam ipsi obligationem imponi. (k) His hoc videri possit dubium, qui talem Deo esse suarum actionum normam credunt, quae in numero locoque legum habeatur; (l) vel qui in sacro codice

(i) *L. c. §. XXI. sq. inquit: Vnd also irren dieienigen, welche ihnen einbilden, ein Atheist möge leben, wie er wolle, und werde auch alle Schandthaten und Laster in der That begeben, wenn er nur von bürgerlichen Straffen frey ist. reliqua. De quibus alii iudicent, quibus plus inest ingenii ac virium.*

(k) *Conf. summe vener. BYDDEL Theol. Moral. P. II. C. I. §. VIII. nota 2.*

(l) *Legem hanc aeternam vocant; quo nomine ipsum interdum Ius Naturae signare solent, eo quod nulli vnquam ipsius mutationi locus esse possit, quum in naturis & finibus rerum nitatur, quae vocari quodammodo queunt aeternae. Conf. celeb. WOLFFELVS l. c.*



ce (m) nonnunquam de pactioibus relatum legunt, quas Deus cum hominibus fecisse dicitur. Sed ad primum quod attinet, Deum non posse non ea peragere, quae cum natura ipsi-

D 3

P. I. C. I. §. XXVI. Sed aliam alii, nescio quam, comminiscuntur legem aeternam, secundum quam Dei praepotentis actiones suscipiantur. Quo sensu eius meminit VALENT. ALBERTI in *Comp. Iur. Nat. cit. p. II. prolegom. §. VIII. sqq.* Lex inquit, - immutabilis - est vel aeterna, vel naturalis; secundum aeternam agit Deus; quae est norma actuum diuinorum, quam ob convenientiam cum intellectu suo practico in regimine mundi adhibere ab aeterno decreuit Deus. BALTH. MEISNERVS in *diff. de legibus*, quatuor legis species esse dicit, aeternam, naturalem, civilem & ecclesiasticam. Aeterna, de qua *Lib. II. toto pag. 85-118. differtit*, Dei decretum notat de regimine rerum. Si talem legem exsistere demus, Deum obligari inde concludetur, cum lex nulla possit esse sine obligatione; quod supra §. XI. not. r. pag. 15. monuimus. Sed ibidem legem in numero locoque decretorum imperantis diximus esse habendam, ipsa legis, eiusque obligationis natura id postulante. Cum igitur nemo dici Deo possit superior, neque ipsi ab villo, cuiuscunque sit ordinis, & dignitatis, lex ferri possit; hinc nulla obligatio admittenda.

(m) In sacro codice Deus cum hominibus fœdera pepigisse dicitur, e. g. cum *Abrahamo, Israelitisque*. Quis vero dicere audeat, Deum aliquid praestandi hominibus necessitatem per pacta imposuisse, & hos vicissim illi? Vnde PVFENDORFVS *Lib. III. Cap. IV. §. VIII.* recte obligationem, quae ab Deo hominibus imponatur, mutuum esse negat. Vi summi imperii potius, quid fieri velit, iis potest iniungere, quia omnes ex eo, ob creationem & conseruationem pendent. Vides igitur, aliter de fœderibus diuinis esse statuendum, quam de iis, quae homines cum aliis hominibus ferre consueverunt. Ad haec accedit, nos ad pacta & facienda, & seruanda, ab ipso Deo obligatos esse, qui conseruationem nostram aliorumque nobis iniunxit, & ideo non potest non ea a nobis fieri velle, quae ad hunc finem obtinendum nonnihil adferunt vtilitatis; in quorum numero etiam pactorum institutum esse equis inficiabitur? Cum itaque pactorum obligatio superiorem anteconstituat, cui tamen nullus omnino iam est locus, si de obligatione ipsius Dei verba fiant; ipsam hanc illius obligationem frustra ex pactis confirmare quis conaretur.



pius perfectissima ac sine congruant, & hanc esse unicam  
 Etionum diuinarum normam, dandum quidem est; sed  
 cum, quae ad legis naturam supra diximus pertinere, in hanc  
 actionum normam minime quadrent, legis nomine non vide-  
 tur posse vocari. Quo pacto igitur obligationem, quae fit  
 ex lege quadam, Deo possimus tribui, nondum inde est per-  
 spicuum. Ad *pactiones*, siue *federata*, quod pertinet, quae cum  
 mortalibus a sacris scriptoribus icisse Deus dicitur, id de di-  
 uino Numine *ισως δὲ θεοποικίλεισιν* narratur, atque tantum in-  
 dicat, ea certo ab iplo nobis collatum iri beneficia, quae con-  
 ferre promiserit. Id quod itidem propter summam Dei  
 sanctitatem aliter euenire nequit. Nulla tamen ex his confi-  
 citur & constat obligatio.

## §. XIX.

*Num is, quicum summo est imperio, ut, si a Deo praepotente dis-  
 cesserit, neminem se agnoscat superiorem, ab vilo mortalium obligari  
 possit, facile ex iisdem potest intelligi.* Omnis summorum  
 imperantium obligatio est a Deo, legibusque diuinis. Hu-  
 manis enim si tenerentur, certe earum latores illis superiores  
 dicendi essent; quo pacto summi nequirent imperantes ad-  
 pellari; de quorum tamen obligatione iam erat inquirendum;  
 quam ab homine illis posse imponi, ne suspicione quidem  
 attingere queo. Si vero de iis loquaris, qui positi quidem  
 sunt in imperio, ita tamen, aliorum imperio vt ipsi sunt  
 subiecti, aliter statuendum. (n)

## §. XX.

(n) Sed iam olim, quae hac de re doceri possent, de industria  
 explanauit summe reuer. BVDDEVS in *dissert. de principe legibus hu-  
 manis, sed non diuinis soluto*. BALTH. MEISNERVS de *legibus L. IV.*  
*Sect. I. Qu. X. p. 298. sqq.* *leges humanae, inquit, sunt vel communes,*  
*vel speciales. Communes voco, quarum observatio non solis subditis*  
*competit, sed cadere etiam potest in principem, ut de astitutatis gradibus*  
*iure humano prohibitis. Et similes. Speciales dico eas, quarum observatio*  
*cadit potissimum in subditos, ut privati sunt. Facere non possum, quin*



## §. XX.

Si porro quaeras, *an ipsi nobis hanc necessitatem moralem possimus imponere; ex iisdem principiis, id fieri nulla ratione posse, concluditur.* Quis enim se ipso est superior? aut, qui fieri potest, ut legem quandam rogemus, quae nosmet obligare queat? (o)

## §. XXI.

in omnia alia discedam. Quod enim ad exemplum hoc attinet, quo suam hac de re sententiam illustrat, quis eum, penes quem summa imperii est, lege ista humana, de gradibus affinitatis evitandis, teneri statueret? Quae leges ab iis latae sunt, nisi ipsae res per leges divinas aut vetitae fuerint, aut praeceptae, possunt quoque abrogare. Cumque hoc in legem isthanc omnino quadret; cur non possit a principibus antiquari, non video, quid sit impedimento. Aliud vero est, num semper agere possit dici princeps prudenter, si actionem, cuidam legi contrariam, suscipiat, aut si legem temere omnino abroget. Ipse MEISNERVS, cum suae sententiae rationem reddere velit, id intelligendum dicit de *vi legis non coercitiva, sed directive, quando lex agenda praescribat, & ad agendum obliget ob rationes legis, ob tranquillitatem conscientiae, item ob exemplum.* Non igitur obligatio est a legibus illis humanis, sed a divinis, & naturalibus, & positivis, ut vocantur. Et hoc sensu quoque admittitur, a PENDORFIO obligationem humanam omnem vocari mutuam, i. e. ut obligationi subiectorum etiam quaedam in iis respondeat obligatio, qui cum imperio sunt. Conf. quae hac de re differit de *Iur. N. & G. L. III. C. IV. §. VIII. seq.*

(o) *Nemo se ipse obligare potest, inquit S. R. BVDEVS in dissert. cit. Ax. III.* Conf. illustr. THOMASII *Fundam. Iur. N. & G. L. I. C. V. §. XVI. seqq.* Solent interdum homines se ipsi videntur obligare. Quod si omnem tollere dubitationem vellemus, multa de votorum natura forent disputanda, & aliquibus exemplis illustranda; cum tamen nobis iam longis minime esse liceat. Ex fine sermonis, itemque promissionum res potissimum est diiudicanda. Ergo etiam hac in re ad leges ab ipso Deo latus confugimus, a quibus omnis est obligatio ad vota isthaec soluenda. Neque eo, quod nobis iniuncta sit nostra consuetudo, hanc nostram obligationem a nobis esse, conficitur, quae omnis est a Deo, legibusque divinis naturalibus, ut a



## §. XXI.

Si quaeratur, *an aequalem quis possit obligare*, quid responsi dandum, minime potest esse obscurum. Nonnihil tamen dubii moueri possit ideo, quia ab aequalibus interdum leges ferri dicantur, quae non sint sine obligatione. (p) Sed si rem omnem animo iustramus, harum legum obligationem minime gentium ab aequalibus aliis esse impositam videmus, sed ab iis, penes quos summa fuit imperii.

## §. XXII.

Neque, quid de *consiliis, eorumque obligatione* statuendum sit, quemquam fugere arbitror. Certe, cum consilia non ab imperante dentur, sed ab aequalibus, iisque, qui dignitate nobis sunt inferiores, & humiliores, per ea nobis haec moralis qualitas ab illis nequaquam imponitur, qui rebus nostris consulere vel volunt, vel videntur velle; sed  
fi

---

PFEENDORFIO pluribus id docetur, de *Iur. N. & G. L. I. C. VI. §. VII.* Cum itaque nemo se ipse queat obligare, hinc officia erga nos nonnullis, ad Ius Naturae non esse referenda, persuasum est. Sed cum obligatio ad officia & Deo, & aliis hominibus, & nobis tribuenda, ab ipso Numine diuino nobis sit imposita; non video, quare id officiorum genus ad Ius Naturae ideo nolimus referre. Si namque obligandi essemus ab iis, quibus officia persoluntur, neque iis, quae aliis hominibus praestantur, in Iure Nat. foret vllus fere locus; quibus ex eo restetis, & officiis erga nos, doctrinae morali; erga Deum, Theologiae naturali, (ita enim nonnullis visum est) insertis; Ius Nat. ferme nullum habebimus. Vt alia, quae haec moneri possent, omittamus.

(p) Leges ab aequalibus olim esse latas, probari posse videtur, ex legibus Athenientium, Laecdaemoniorum, aliorumque, quarum latatores SOLON, LYCVRGVS, & alii dicuntur, qui sane ciuibus nequaquam superiores fuere. Sed facile adparet, eos quidem, quid illis Rebusp. conduceret, aliorum rogatu aperuisse, obligationem vero hisce legibus non nisi rempublicam addidisse, quae, si minus placuissent hae leges, omnino eas reuocare potuisset. Addere etiam posses, his istorum sapientum praeceptis rectius olim conuentionum nomen fuisse impositum, quam legum. Sed mittamus haec.



si quid obligationis inest consiliis, a legibus Naturae potius id repetendum. (q)

## §. XXIII.

Quam vellem, ut plura addere de verae obligationis usu, (r) & quae dicta sunt, polire magis & exornare liceret! utrumque vero interpellant & animi debilitas, & temporis breuitas. Nihil igitur addimus, quae ad hanc materiam pertinent, nisi ut lectores, ea qua decet obseruantia, rogemus & obtestemur, ut, si in qua re a nobis erratum fuisse animaduertant, aequi atque boni velint consulere.

F.

Co-

(q) Hominibus quidem fas minime est ea omittere, quae ad conseruationem eorum prouehendam faciant; sed haec obligatio est a legis Nat. auctore, qua id officiorum genus nobis iniungitur. Huc accedit, quod nonnullis consiliis nostra conseruatio nequidem prouehatur, sed potius interpelletur; ergo consilia ipsa nullam habere obligationem, inde concludimus. Conf. saepe laudatus SYRBIUS in *Philos. prima P. I. C. VI. §. XLII. p. 299.* PVFENDORFIUS de *Iur. N. & G. L. I. C. VI. §. I. de offic. H. & C. L. I. C. II. §. II.* quaeque a doctissimo LEHMANNO ad hunc locum obseruantur. GROTIUS item, de *Iur. B. & P. L. I. C. I. §. IX.* summe reuer. BVDDVS *Theol. Moral. P. II. C. I. §. III.* HOBBIUS de *ciue C. XIV. §. I.* aliique. Illustri THOMASIVS in *obseruat. cit. §. II. IV. & XI.* it. in *Fundam. Iur. Nat. & Gent. L. I. C. IV. §. LIX. LXII. & XCV.* obligationem consiliis si non externam, tamen internam tribuendam iudicat. Qua ratione consilium a lege discernendum celeberrimi VIRI modo laudati pluribus ostendant, *ll. cc.* ita nempe, ut *leges semper a superiore ferantur, neque sint sine obligatione; quod de consiliis dici nequit.* An regulis prudentiae attribuenda sit obligatio, paucis hie doceri potuisset, nisi hoc negotium iam confecerit celeb. LEHMANNVS in *introd. ad prudentiam politicam, C. IV. p. 67.* hoc igitur labore iam superfedens.

(r) De variis, quae circumferuntur, obligationis distinctionibus, quibus eam in *conuictam, & aduictam; temporariam, & perpetuam; mutuam, & non mutuam; perfectam, & imperfectam; plenam, & minus plenam; naturalem, & civilem,* reliqua, distribuunt, nonnulla afferre constitueramus, a quibus tamen breuitate temporis excludimur.




## Corollaria.

**C**ertae subsunt caussae, quare ex Mathesi nonnihil heic addatur.

## Coroll. 1.

*Theorematis becatombici (vt vocant) demonstrationes, ab Euclidea & Pythagorica aliae, quas nescio ab aliis esse usurpatas, plures sunt in promtu; sed, quam earum puto facillimam, haec est:*



in hoc triangulo  $abc$ , quadratum  $cag$  &  $abed$  esse aequales quadrato hypotenusae  $cb$ , probandum nobis est.

1) Anguli in quouis triangulo sunt aequales, quod ex constructione partim adparet, partim per principia longimetriae facile probatur. His ante constitutis

2) Trapezoid.  $abem$ , &  $acil$  sunt communes.

3) Triang.  $hlk \cong bdm$ ; quia Triang.  $abc \cong bk$

$h$ ; cum sit  $cb \cong bb$  & angeli aequales. Ergo &  $bk \cong ab \cong bd$ . conf. no. 1.

4) Triang.  $cgi \cong bbk$ , quia  $ic \cong bb$ . Coroll. ergo &  $gi \cong bk \cong ac$ .

5) Triang.  $fli \cong emc$ ; quia  $fi \cong ec$ ; nam utrumque est differentia laterum Trianguli  $abc$  minorum, per coroll. antec.

## Coroll. 2

Antequam perpendicularum  $bk$  esset demissum, haesitabamus in demonstratione, eo, quod Triangulo  $bdm$  nihil responderet in quadr. hypoth. Putabamus enim, Triang.  $lhb \cong gic$ , per theorem. longimetr. quia anguli in utroque erant aequales, & praeterea latus lateri,  $bb \cong ci$ . Deinde vero intellectum est, theorema illud esse restringendum,

vt,




ut intelligatur tantum de aequalitate laterum, aequalibus angulis adiacentium. Idque in reſtangularis & obliquangulis obſeruandum.

Coroll. 3.

*Triangulum reſtangularum circulo circumscribere.* Punctum illud, quod hypothenuſam diuidit in 2. partes aequales, centrum eſt. Id nolumus iam demonſtrare.

Coroll. 4.

*Perpendicularum ex e erigere verſus b a.* Circino cape in ſcala Geometr. 3. pedes, digitos &c. quos transfer ex e in n. 4. pedum interuallo arcus fiat verſus b a, quem interuallo 5. pedum alius ex n ſecet in f. per illud punctum f interſectionis ducatur linea quaeriſta.



Coroll. 5.

*Gnomonem, itemque triang. reſtangularum examinare, ſimulque videre, num linea, e. g. ae, lineae bc inſiſtens pro perpendicularo ſit habenda,*

1) Capiantur circino in ſcala, vt antea, 5. pedes, quos transfer ex e in n. Interuallo 4. pedum notes punctum f; & videas, num f ab n interuallo 5. pedum diſter.

Vel 2) Ex ſumma quadratorum laterum e. g. ae & ec extrahe radicem quadratam, qua ſi diſtanciae ac fuerit aequalis, angulus aec eſt reſtus.

Vel 3) Applicetur gnomon angulo aec, itemque aeo. Si utrobique lateribus ae & ec vel eo gnomonis acies pene adiaceat, anguli ſunt reſti, & gnomon rite ſe habet.

4) M. BENJAMIN HEDERICH in *denen Anl. zum Mathem. Wiſſenſch. Regula IX. Epipedometriae* dicit: wenn eine perpendicular von der Spitze eines Trianguls auf die Baſis gefaeller wird, und ſolche perpendicular kurtzer iſt, als die Helffte der Baſis, ſo iſt der Triangel ein ſtumpfer Triangel. R. X. iſt die perpendicular laenger, als die

E 2



die Helffte solcher Basis, so ist der Triangel ein spitziger Triangel. Ex quibus concludebamus, ergo, si fuerit aequale perpendicularum dimidiae basi, triangulum erit rectangulum. Sed experientia contrarium confirmat; & ipsae hae regulae videntur dubiae. Regula X. tantum vera est, si latus minus pro basi habeatur. e. g. in acutangulo  $gcd$  latus  $cd$ . Tunc enim perpendicularum, si ex  $g$  in  $dc$  demittatur, maius est dimidia basi. Sed si ex  $d$  in  $gc$  vel ex  $c$  in  $dg$  cadat perpendicularum  $dl$ , secus accidit. Regula IX. nulla plane videtur. Si enim in obtusangulo  $abc$  demittatur perpendicularum  $bd$  in basin  $ac$  productam, dimidio baseos id maius erit; idem accidet, si in basin  $bc$  productam, demittas perpendicularum  $a e$ . Nec excipi poterit, ex angulo maiori perpendicularum esse demittendum. Ponamus enim, velle nos ope regularum istarum cognoscere, num angulus  $aeb$  sit acutus, an obtusus; (si nesciam angulum esse rectum) tunc perpendicularum  $em$  minus esset dimidio baseos  $ab$ . Ergo per reg. IX. esset obtusangulum, cum sit (ex constructione) rectangulum. Gratum fecerit, qui hoc explicuerit, cum forte auctoris sententiam non recte intelligamus.

## Corrigenda.

Pag. 22. lin. 10. lege:  $\mathcal{E}$  omittendum. p. 4. not. k. lin. 6. leg. ius ad rem.  
p. 5. not. r. lin. 2. leg. P. I. C. I. §. VIII. p. 11. not. n. lin. 4. lege  
proposito.





ULB Halle  
006 832 288

3



*Sb*

*VLB hebr 121*

*VLB*











*f. 17. num. 4. A. 4*

*1722/11 b*  
*2/1*

**Q. D. B. V.**  
**DISSERTATIO MORALIS**  
**DE**  
**RAE OBLIGATIONIS**  
**NATVRA ET VSV**  
**QVAM**  
**CTORE MAGNIFICENTISSIMO**  
**NISSIMO PRINCIPE AC DOMINO**  
**DOMINO**  
**LIELMO HENRICO**  
**SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE, MON-**  
**VUM, ANGARIAE, GVESTPHALIAE**  
**RELIQVA**  
**PHILOSOPHORVM ORDINIS PERMISSV**  
**IN ACADEMIA IENENSI**  
**LICO ERVDITORVM EXAMINI OFFERT**  
**IACOBVS ADELVNG**  
**BINDERSLEBIA - ERFFVRTENS.**  
**RESPONDENTE**  
**GODOFREDO SCHREITER**  
**ELENSVVRGO - CIMBRO.**  
**CALEND. OCTOBR. MDCCXXVII.**  
**IENAE**  
**LITTERIS BVCHANIS.**

